



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

4. De liberalitate Dei

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

IV.

De Liberalitate Dei.

I. **E**Xpende i. quàm latè se diffundat Liberalitas Dei, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, ad omnia videlicet dona naturæ, gratiæ & gloriæ, omnibus & singulis rationalibus creaturis, atque inter eas maximè Electis, & vicissim erga se liberalibus liberalissimè impercienda. 2. Quàm longa sit, durans ab æterno in æternū, quoad voluntatem eadem dona, imò seipsum, liberalissimè largiendi. 3. Quàm sublimis & infinite perfecta, tum ob excellentissima dona, quæ tam profusè imperitur, quia ipse re idem est cū infinita liberalitate sua, quæ proinde nec augeri potest, nec minui. 4. Quàm profunda sit, cum gratis absque vllō debito, & merito, quibus vult, liberalius, præ ceteris, sua dona, seque ipsum communicet; proindeque captum creati intellectus, longè superet. Equanam liberalitas, etiam possibilis in cœlo & in terrâ, huic queat comparari? nulla, nusquam, nunquam. Quam grato, feruenti, liberali animo tam liberali Domino iure foret feruendum? Gratitude, amor, feruor per-

perfectè Deo seruiendi per assiduum
studium eximiæ perfectionis.

II. Quàm liberalem se exhibuerit &
nunc exhibeat Dominus erga Ange-
los & homines in via, maximè Electos
erga se vicissim liberales, & liberali a-
nimo se totos eius obsequio impen-
dentes. 1. Tot, tam varijs eximijsque
naturæ & gratiæ donis cumulatissimè
eos ornando; virtutes supernatura-
les, cum habituali gratia, in excellenti
gradu gratis eis infundendo. 2. Coo-
perantes charismatis sibi communica-
tis, pro singulorum meritis, insigni-
bus gratiæ sanctificantis augmentis
statim deuorando, noua que auxilia gra-
tiæ excitantis, tot, ac tanta, ad conti-
nuum eiusdem sanctificantis gratiæ, &
infusorum habituum incrementum
promerendum largissimè superadden-
do. 3. Hanc suam liberalitatem tam in
assidua suppeditatione nouorum au-
xiliorum gratiæ excitantis, quàm in
collatione nouorum graduum virtu-
tum infusarum, maximè charitatis &
gratiæ sanctificantis, nisi ipsi ponant
obstaculum, continuando vsque dum
perseuerantiæ donum & prædestina-
tum sibi gloriæ brauium assequantur.

Quam stupenda & profusa illa libera-
litas.

litas' quoties eiusdem erga te exper-
tus es, & nunc experiris non obscura
argumenta? & tamen adhuc te tam
parcum exhibes & torpidam in eius
obsequio. quando tandē audies Apo-
2. Cor. 9. stolum intonantem: *Qui parvè seminat,*
parvè & metet, & qui seminat in bene-
dictionibus, de benedictionibus & metet.
Affectus ijdem, cum dolore de nostra
in diuinis obsequijs parcite.

III. Quàm liberalem se idem exhi-
biturus sit Electis suis in patriâ, o-
mnia & singula eorum merita, tam in-
æstimabilibus præmijs gloriæ essen-
tialis & accidentalis, animæ & cor-
poris, & variarum laureolarum, supra
condignum, remunerando, nec solum
eorum ardua & heroica facinora, sed
minima etiam pia desideria. O quàm
detestanda socordia nostra in operi-
bus ac desiderijs meritorijs multipli-
candis, cum tam profusa sit, liberalitas
Dei in eisdem, longè supra condi-
gnum, æternum remunerandis! Affe-
ctus ijdem cum zelo proficiendi assi-
duè in charitate, & gratiâ, per
frequentationem actuum
meritoriorum.

(. . .)

In